



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

**Francisco <de Javier>**

**Romæ, 1667**

Epistola VI. Eidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46129)

## EPISTOLA VI.

E I D E M.

**C**arissime in Christo Frater : Tantum me delectarunt tuæ literæ , quantum nunquam satis exprimere scribendo possem . levarunt enim me curâ quâ intimè urebar de Præfecto , deque alijs eadem procellâ Domino ejectis . Sit utinam Dominus Noster cum illis omnibus , sicut & esse ipsum mecum cupio . Tertiâ feriâ duabus horis ante lucem misi P. Franciscum Coëllium ad Principem Regis Travancoris cognatum , qui Tale diversatur , duabus à Manapare leucis . Exceptus est ab eo humanissimè . Causa mittendi fuit spes isto modo pacandi regionem hanc inquietissimo metu suspensam , ac passim consternatam ob minas Badegarum . Vellem ante discessum hinc meum his miseris populis , si minùs plenam pacem possum , saltem quasdam ærumnarum inducias relinquere . Dixit Princeps Coëllio , Beterbemalem ingenti festinatione mari tendere contra Regem magnum , animo cum eo configendi . Alia mihi ratio legandi Coëllij fuit , ut im-

K 3

petra-

petrarem à Principe literas ad Adigares; quibus jubeantur p̄mittere exportationem Oryzæ, & aliorum ad victum utilium. Eadem feriâ tertiâ post Meridiem, accepi literas tuas; & continuo expediui certum hominem ad P. Coëllium cum Epistolâ ab eo reddendâ Principi, quâ illum rogo, ut scribat Adigaribus istius regionis, ne, quod hactenus fecerunt, obstent quo minùs alimenta Punicalem importentur: prætereaque ne Christianos infestare pergant; sed eis potius æquos se præbeant. nihil non moveo quò hanc, si p̄ssum, maritimam Oram aliquatenus quietam relinquam, ante meum hinc discessum Iniquitribirimum versùs. Spero autem me inde rediturum efficacioribus armatum autoritatis regiæ præsidij ad resistendum iniquitati Adigarum istorum. Cras manè scribam ad Præfectum. non enim nunc scribendi otium concedit hujus Tabellarij festinatio. Expecto hac nocte Franciscum Coëllium. Postridie manè fusiores ad te literas quàm hæ sunt destino, nunc multam à me salutem nunciabis Paulò Vazio. & Matthæo dices: scribere me isthuc ad Manuëlem Crucium, ut illi numeret duodecim fanoës, quos à me petijt pro suo Patre, & Sorore, quam habet,

bet, paupere. Afferet materiam copiosioris,  
quam promisi, Epistolæ Franciscus Coëllius.  
Conjungat nos utinam Dominus Noster in suo  
regno. Amen. Manapare IV. Idus Septembris  
AN. CIOIEXLIV.

Tuus in Christo Amantissimus Frater.

*Franciscus.*

EPISTOLA VII.

EIDEM.

CARissime in Christo Frater: Antonius  
æger decumbit, nec nos potest juvare.  
Mitte statim ad me Manaparem, Antonium  
Paravam, qui nobis ministret in quotidiano  
victu. Scribe, amabo te, rectene an secus  
agatur cum istâ nuper afflictissimâ Plebe.  
Solicitude quam de ijs circumfero, me ac-  
quiescere non patitur. Ejus unicum est so-  
latium, doceri subinde quo loco res illo-  
rum sint. Cum primum ad Regem Travancor-  
coris pervenero, ejus expediri diplomata  
curabo, & statim ad vos mittam, quibus Adi-  
gares ubique locorum jubeantur benignè

K 4

tracta-